cedere non obtrudetur, nemo abacti amore liberorum, Beccaria dei delitti e delle pene § 35° vers. ultimo infine: nunque licet transferre illud a natura humana affectum Martiani versi — Qui sibi non pepercit, multo minus aliis parcet — (§ 37°). At quod in qualitate malorum cum sit perpetuum, quod nunc, si majus propterea malum sit in nobis, quam quod in aliis debeamus pati! Atqui istæc egestas filiorum, quæ nullo meroris sensu afficiet parentem mortuum, et quam etiam antequam moriatur parens sperat non poenam futuram, hæc filiorum egestas videbitur malum multo levius illis, quæ certe gravissima aut sunt, aut putantur, si possunt facere hominem sui ipsius interfectorem. Ad extremum insani qui sunt, sicut sunt isti, qui mortem sibi consciscunt (hoc eodem § 33° in principio) nec liberorum ratione commovebuntur, quemadmodum nec ulla alia, quando non ratione agere, at furore, et impetu proprium est insaniæ (§ 31°)

Sic bonorum publicatio, quæ in ista facinora constituuntur, nihil aliud pariet, nisi injustam quandam, inutilem, nonnequam etiam immanitatem, dum pro crimine, quod in amentem non potuit cadere, dum nulla insuper cum probabile

spe similium conatuum reprimendorum, sive ad corroborandorum forte, ad cuiuntque eo vehementius impellendorum metu (paulo superius) puniat filiorum, successorumque exploratissimam innocentiam. L. Cognitum 16a ff. de pœnis, L. 6a ff. de decurionibus, Novella 17a cap. oportet 11°, Antonius Mat. in lib. 48. tit. 19 ff. cap. 3° num. 7°, Beccaria dei delitti e delle pene § 35° vers. 1°

Quo circa miserandum magis, quam irascendum hisce manu sua tantis sui ipsius cladibus: præsertim quia rara est imitatio factorum talium, raraque talia audentium amentia. Nam si in aliqua terrarum parte facinora ejusmodi appareant frequentiora, utilius erit inquirere, removereque causas eas peculiares, quæ induxerunt singularem istam vesaniamque, oblivionemque naturæ; utilius id, inquam, erit, simulque justius, quam pro crimine, quod non extitit, punire eos, ad quos nec si extiterat, pertinerat; et in ea hac iniquitate tanta nihil proparare bono sciliet in amovendis saltem in posterum ausis similibus.

Nihilominus in libris Juris Romani distinguimus odio ne vitæ, aut dolore, pudore, furoreque aliquo, an potius conscientia criminis, aut

prorsus absque causa conscivisset sibi quis mortem. Qui criminis, de quo postulatus, aut in quo erat deprehensus, conscientia in se egisset, hunc sane puniebant, verum non tam ipsius illius ergo, quam quia sic videretur confessus crimen id ipsum, cujus conscientia, metuque poenae ruerat in necem suam l. qui rei 3a in principio usque ad § 4., et §. sic autem ff. de bonis eorum, qui ante sententiam mortem sibi consciverunt, l. 1a et 2a Cod. eodem tit. Qui taedio vitae, quive dolore aliquo, pudoreve, aut furore maluisset emori, hunc excusatione, et venia dignum putabant dicta l. 3a [struck] § si quis 4o usque ad § 7. ff. de bonis eorum, qui l. dicta l. 1a Cod. eodem tit. l. in fraudem 45a § ejus bona 2o ff. de injusto rupto testamento, l. si quis 5a de jure fisci, Heineccius in pandectis lib. 48o tit. 21. § 233, Antonius Mat. in lib. 48. tit. 5o ff. cap. 1. num. 9. Quanquam si miles foret, dimittebant eum cum ignominia l. omne 6a § qui se 7o ff. de re militari, l. 38a § miles ultimo ff. de poenis; At qui sine causa ausi fuissent tale quid contra se, in eos judicabant animadvertendum dicta l. 3a § sic autem 6o ff. de bonis eorum qui, eaque res in militibus capitalis erat dicta l. omne 6a, et l. si quis 38a §§ citatis.

Profecto si id genus ausa vindicanda in quopiam

forent, viderem equidem cur deberent severius vindicari in milite, sive dum dicitur is sine causa auferre Reipublicae vitam suam, quae vitae reipublicae tanto magis, quam caeterorum addicta erat militari ipso instituto, sacramentoque; sive etiam dum cessit doloris stimulis, taedioque vitae, quae res aliena prorsus est a fortitudine militantium, ideoque debuit in illis merito notari ignominia, quod in caeteris excusabilis, et sine laesione famae videbatur esse oportere: facit lex quaedam dicta 14. ff. de poenis.

Sed putarem nec in militibus facta hujusmodi debere plecti; quia debent nimirum in nemine plecti, quando in nemine illa habuerint delicti vim, nec poenae utilitatem. Itaque, quae lata sumpta desperui ut sint secundum rationem, necesse est, ut a ratione discreparent, quae Romanis legibus nuper instituta, constituta sunt longe alio modo. Et certe, ut caetera omittam, quomodo leges putaverint posse contingere, ut quis nulla causa incitatus, nullo furore percitus sibi ipsi mortem afferat dicta l. 3a §§ 4o et 6o ff. de bonis eorum qui, dicta l. omne 6a dicto § 7o ff. de re milit. et dicta l. si quis 38a § ultimo ff. de poenis, quando ille, quo agimur, appetitus vivendi adeo sit insuperabilis, ut nulla causa potis sit eum vincere, nisi quae prius mentem commoverit, traxerit ad furorem? (hoc eodem § 13o in princ.) Qua de re neque satis fieri rem ei criminis confessioni, quam per leges easdem

fuisse videtur is, qui postquam criminis accusatus erat, attulit sibi mortem dicta l. qui rei 3.ª in principio, et pluribus sequentibus ff. de bonis eorum, qui ante §, dicta l. 1.ª cod.ᵉ eodem tit.º, neque enim res adeo gravis, qualis est confessio criminis, videtur satis bene constituta illo actu, qui est insanientis.

Caput 9.

De Divisione Delictorum

§ 34.

De delictis, et quasi delictis

Celebriores delictorum, usitatioresque divisiones referre volenti mihi sese offert in primis illa princeps diversitas, qua dissident delicta vera a quasi delictis; vera delicta sunt, quæ sunt ex dolo, quasi delicta oriuntur a culpa, seu negligentia, sicuti fuit animadversum supra (§§ 1.º, et 13.º) estque ea divisio idonea, quoniam vocabula delictum, maleficium ubi generaliter, lateque sumantur, utramque rem continent, et in unum quod conjungunt in suas deinde partes comodissime distinguendum Inst. de perpetuis, ac temporalibus actionibus § non autem 1.º, Vinnius Inst. tit. de actionibus § omnia autem 1.º num. 11.º

§ 33.

De publicis, deque extraordinariis criminibus.

Quæ crimina vel ipsam rempublicam directo læderent ceu Majestatis, Peculatus, Ambitus; vel in læsione etiam singulorum, ceu homicidium, adulterium, falsum, publicæ tamen rei magnum damnum, periculumque continerent, fuerunt in vetere Roma subjugata legibus suis, quæ leges cuique de populo populo potestatem faciebant accusationis, et solemnem propriam, certamque constituebant cognitionis modum, certamque pœnam Inst. de publicis judiciis § 3.º ad 11. l. 1.ª ff. eodem tit.º, Gravius in animadversionibus ad Siconium Tomo 2. thesauri antiq. Rom., Heinecius Antiquitatum Roman. lib. 4.º tit. 18. § 2.º, Antonius Matthæus de Crimin. proleg. cap. 2.º num. 7.º, et 8.º Hæc judicia, ita crimina fuerunt publica nuncupata.

Publica inquam fuerunt delicta non et eo tantum, quod accusari possent ab omnibus, quam rationem unam Imperator affert in § publica 1.º Inst. de publicis judiciis; id enim commune erat etiam actionum popularium, quas tamen publica inter judicia nunquam haberi contigit l. si vero 5.ª § praeter eo 6.º et pluribus sequentibus, et § ista autem ultimo

ff. de his, qui effuderint vel dejecerint, Vinnius Instit. tit. de obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur § Idem si 1º vers. positum, aut suspensum. Sed potius ideo publica vocata sunt, quia publica res, causave in iis præcipue versabatur, et publicum insuper erat, seu publica rerum potestate perspicuum quidquid sive ad inquirendi naturam, sive ad puniendi vim, modumque spectabat, Vinnius Inst. de publicis judiciis § publica 1º num. 1º, Heineccius Antiq. Rom. lib. 4º tit. 18º § 1º

Verum restabant crimina quoque alia, de quibus nihil erat comprehensum legibus certis, puniri tamen oportebat, æqueque ac illa. In his quoniam res vagabatur extra ordinem, hoc est extra institutionem, et morem publicorum judiciorum, et criminum (quandoquidem et diversa erat in his cognoscendi ratio, nec pœna erat certa, ut in publicis, pœnaque a lege, verum a religione, et arbitrio pendens ratio puniendi l. hodie 13ª ff. de pœnis, Antonius Mat. prolog. cap. 4º) ob eam rem crimina ista dici cœperunt extraordinaria. In idemque extraordinariorum genus venerunt postmodum crimina quoque publica, sive dum obsoleto jam more publicorum judiciorum, etiam illa cognosci

cœperunt extra ordinem, sive dum ex eis in quibusdam casibus placuit discedere a pœna, quam judiciorum eorundem leges proscripserant l. Ordo 8ª ff. de publicis judiciis, l. in Senatus Consultum 16ª § [illegible] ad Senatus Consultum Turpillianum, l. 3ª § legis Corneliæ 5º ff. ad Legem Corneliam de sicariis, Gravina in animadversionibus ad secundum loco cit., Vinnius Instit. de publicis judiciis in principio, Antonius Mat. prolog. cap. 4º num. 7, 8º, et 10º

§. 36.

Capitalia, aut non capitalia: graviora, aut leviora.

Capitale crimen dicitur in eo, cujus pœna debet caput e numero civium l. 2ª ff. de publicis judiciis. Quæ res quoniam accidit non solum propter vitam, verum etiam propter libertatem, civitatemque amissam, idcirco et pœnæ hæ capitales, et capitalia nuncupantur crimina vindicanda pœnis eisdem l. licet 103ª ff. de verborum significationibus, dicta l. 2ª ff. de publicis judiciis, Antonius Mat. prolog. cap. 4º num. 5º; Vinnius Instit. tit. de publicis judiciis § publicorum 2º vers. capitalia. Summa quidem est ratio famæ, eaque sæpe comparatur cum vita; imo sunt, qui eam anteponunt vitæ ipsi l. isti quidem 8ª § si dederit

4°. quod mens causa, l. justa 9a. ff. de manumissis vindicta. Sed quoniam id contingit in magnis, excellentibusque animis, qui sunt perrari; quia nihilominus verum est hominum esse infamium capita non reliqui in civium ordine, ideo quae crimina exercentur infamia, non sunt ea, neque appellantur capitalia, quemadmodum nec quaevis alia, quae non privant hominem vita, libertate, aut civitate, l. ad tempus 6a. cod. ex quibus causis infamia irrogatur, dicta l. licet 103a. ff. de verborum significationibus, dicta l. publicorum 1a. ff. de publicis judiciis, Tract. eodem tit. § 1°. ibique Vinnius vers. infamiae, Antonius Mat. loco cit.

Tribuuntur quoque crimina in graviora, et leviora. Postquam naturam delicti deprehendimus in pernicie sociali, quae ex imputabili aliqua actione, omissioneve nascatur (§§ 9°, et 10°) intelligere debemus, gravius, leviusque illud futurum, prout societatem magis, minusve laeserit. Sunt crimina quaedam gravia ipsa per se, uti crimen majestatis, ut caedes, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, uti scelus violantium sepulcra, pecuniam adulterantium l. nemo 3°. cod. de episcop. audientia.

Veruntamen et quae maleficia natura sua existerent in levioribus, ingravescunt illa nonnunquam

loci, temporis, personarum, aliorumque adjunctorum causa. Ex. gr. convicium dicere non est adeo grave: at quod si senex, domino, magistratui privatus dixerit? quid si dictum fuerit palam in foro, atque conspectu hominis? Quid si promulgatum inter supplicationes ipsas, quibus forte tunc daretur opera in civitate? Personarum sane ratio, cum loci, deinque temporis adaugebunt scelus, Antonius Mat. proleg. cap. 4°. num. 12°. Necesse est, judices haec, et similia perpendere, si volunt crimina digne aestimare, dignèque plectere.

§ 57.

Crimina communia aut propria nominata, aut carentia nomine, notoria, aut occulta; tum de criminibus ecclesiasticis, civilibusque mixtis.

Commune ajunt crimen esse, cujus fieri reum posse commune sit, seu promiscuum: id quod cernitur in homicidio, injuria, similibusque: proprium autem, quod committere cadit in eos certos tantum vel homines, vel hominum ordines, quale est navare operam seditionibus tumultuosis, ...